

torum in alia mixta, vel mixtorum in corpora elementaria, et quam ante assignavimus ex mente Aquinatis [49]. Quare Doctor Angelicus paulo post verba in nota citati num. recitata, haec subdit. " Ex quo patet, quod virtus formae elementi dominantis in mixto habet non solum solvere mixtum, et inducere propriam formam talis elementi, sed transmutare mixtum de una proportione miscibilium in aliam quousque in ipsam formam propriam deveniatur. El ideo licet forma corporis mortui non fuerit virtute in vivo: quia corpus mortuum non venit in constitutionem corporis vivi, quod facit quidquid in virtute continetur in alio, sicut patet in elementis quae constituunt mixtum: est tamen in vivo virtus elementaris, quae nata est solvere proportionem miscibilium in qua salvatur vita, ad quod sequitur quod succedat alia forma dans novum esse."

Hinc patet etiam responsio ad secundum. Compositio quippe elementarium corporum in mixtis organicis est multo magis complicata quam in mixtis anorganicis, et in animalibus magis adhuc quam in vegetalibus. Hinc multo facillius est, causis extrinsecis agentibus, transilantur limites proportionis, quae est propria dispositio ad formam in huiusmodi mixtis conservandam, quam in ceteris: unde nova corruptio adeoque nova generatio succedit. Quare multitudo formarum quae hic intervenit, non maiorem arguit virtutem extrinseci agentis, sed minorem, ut ita dicam, consistentiam et stabilitatem subiecti in quod operatur. Ex quo illud etiam efficitur, quod, si potentior causa intervenit, puta cum animal fulgure occiditur, poterit vel in ipsa elementaria corpora continuo commutari.

DISPUTATIO III.

DE QUANTITATE CORPORUM.

SECTIO I.

Generalia quaedam pronuntiata de re quanta, prout huiusmodi.

93. **Definitio rei quantae tradita a Philosopho.** — Quantitas, vere et proprie, corporea scilicet, hoc modo definitur ab Aristotele: *Quantum dicitur quod est divisibile in insita, quorum utrumque aut singula unum quid et quod quid apta sunt esse* (1). Definitur porro quantum potius quam quantitas, quia concreta sunt nobis notiora; ex quo propterea exordium disquisitionis ducere oportet. Addit insuper Aristoteles vocem illam *dicitur*, quo tacite subindicet, se non tam velle naturam intimam huius rei explicare, sed nominalem potius eiusdem rei descriptionem tradere. Ille vero ea probe intelligatur, haec nota.

Dicitur 1. *Quod est divisibile*. Quid porro sit *divisio*, in Philosophia Prima declaravimus [457]; est scilicet ea cuius privatione constituitur *unum*, et ex qua efflorescit *multitudo* seu *pluralitas* (2). Pluralitas porro quae intel-

(1) Ποσόν λέγεται τὸ συνεχές εἰς ἄσπαστον, ὃν ἕκαστον ἢ ἕκαστον ἐστὶν αὐτὸ καὶ τὸ αὐτὸ τὸ πλείονος εἶναι. *Metaph.* 4. al. 5. c. 13.

(2) * Unum non est remotivum multitudinis, sed divisionis, quae

ligitur exurgere ex divisione rei quantae, est pluralitas sensibilis, secundum situm (1) scilicet vel numerum. Quare S. Thomas. * Dicendum, ait, quod quantitas corporalis habet aliquid, in quantum est quantitas, et aliquid, in quantum est forma accidentalis. *In quantum est quantitas, habet quod sit distinguibilis secundum situm, vel secundum numerum;* et ideo hoc modo consideratur argumentum magnitudinis per additionem, ut patet in animalibus. In quantum vero est forma accidentalis.... (Summa th. 2. 2^{ae} q. 24. a. 5. ad 1.) Pertinet igitur ad rem quantam, prout huiusmodi, descripta divisio, non quidem actu, sed potentia, ac propterea dicitur esse divisibilis. Potest autem fieri tripliciter. Primo quidem, physica partium separatione. Secundo, reali plurimum accidentium vel respectuum diversitate: ut ex. gr. contingeret, si e superficie aliqua continua altera pars albesceret, altera nigresceret, vel etiam si una ab alio corpore tangeretur, alia vero non. Tertio denique mensuratione. Hi vero tres modi divisibilitatis possunt rursus dupliciter contingere actu, realiter scilicet, ac mentis sola designatione.

est prior secundum rationem quam unum vel multitudo. Multitudo autem non removet unitatem, sed removet divisionem circa unumquodque eorum ex quibus constat multitudo. S. THOMAS (Summa th. 1. p. q. 30. a. 3. ad 3.).

(1) *Situs sive positio* in re praesenti non intelligitur ordo partium qui sit ad locum; id quippe constituit specieae praedicamentum; sed ille ordo partium inter se, ratione cuius designari possit, quae sit superior vel inferior, ante vel retro, dextrorsum vel sinistrorsum. Unde quantitas continua, cui haec divisibilitas convenit, dicitur etiam *quantitas positionem habens*. Quod ita nitide explicat Auctor Opuse, cui titulus, *Totius Logicae Aristotelis Summa*. * Notandum quod positio idem est quod ordo partium in loco, et haec est unum de decem predicamentis, quae etiam dicitur situs, de quo infra dicitur. Alio modo dicitur positio ordo partium in toto: et sic positio est differentia quantitatis. Ad hoc autem quod quantitas habeat positionem requirunt tria. Primo, quod habeat partes suas continuas signabiles et non signatas. Secundo, quod secundum hanc signabilitatem habeat partes inter se ordinatas, unam videlicet post aliam. Tertio, quod partes illae habeant permanentiam. (Opuse. cit. tr. 3. c. 4.)

Dicitur 2. *in insita*, h. e. in ea quae formaliter rei quantae inexistant. * Quod quidem dicitur, ait S. Thomas, ad differentiam divisionis mixtorum. Nam corpus mixtum resolvitur in elementa, quae non sunt actu in mixto, sed virtute tantum. Unde non est ibi tantum divisio quantitatis; sed oportet quod adsit aliqua alteratio, per quam mixtum resolvitur in elementa. (5. *Metaph.* lect. 15.)

Dicitur 3. *quorum utrumque aut singula unum quid et quod quid apta sunt esse*. Sensus est, ea in quae divisio rei quantae terminatur, debere esse eiusmodi, ut, divisione peracta, possint adhuc existere et unumquodque eorum sit $\epsilon\nu\ \tau\ \pi\alpha\lambda\ \tau\delta\delta\epsilon\ \tau\epsilon$, aliquid scilicet unum demonstratum, in se et ab aliis divisum. * Et hoc dicit, ait rursus S. Thomas, ad removendum divisionem in partes essentiales, quae sunt materia et forma. Nam neutrum eorum natum aptum est esse unum aliquid per se. (loc. cit.) Neque obstat quod ante diximus [50. obiect. II] de *minimis naturalibus*, quae tametsi partes quantitativas vere habent, haec tamen nequeunt separatim consistere. Quod enim hic dicit Philosophus, debet intelligi sensu formali, h. e. *spectata ratione solius quantitatis*: alia autem indivisibilitas quae convenit minimis naturalibus, non procedit ex vi quantitatis ipsorum, sed ex specifica diversitate cuiusque corporis, ut num. cit. indicavimus, et paulo inferius ex professo declarabimus.

94. **Quantitas continua: eius partes.** — Prima et potissima species quantitatis ea est quae *continua* nuncupatur. Continua porro, deficiente Aristotele, sunt ea quae *communi termino copulantur* (Categ. c. 6). Ut vero id melius explicari possit, distinguit Philosophus (1. *Phys.* c. 1.) triplicem modum, quo invicem se habent partes quae quantum aliquod constituunt. Primus modus est, cum existunt *consequenter*, $\tau\alpha\ \epsilon\pi\epsilon\sigma\tau\epsilon\iota\varsigma$, inter quae scilicet *non mediat aliquid eiusdem generis*. Sic ex. gr. una domus se habet consequenter ad aliam, si domus media non interiacet. Alius modus est, quando aliqua sic consequenter se excipiunt, ut sint praeterea invicem *contigua*, $\acute{\alpha}\pi\tau\acute{\alpha}\mu\epsilon\tau\alpha$, quorum scilicet *extrema sunt simul*. Dicuntur vero extremitates binae

esse simul quae loco minime distant, tametsi sint binae extremitates reales actu invicem distinctae, duorum scilicet corporum distinctorum. Sic ex. gr. duo plani qui invicem se tangunt, superficies unius alia est a superficie alterius, tametsi una sit alteri sine ulla loci intercapedine superposita. Tertius denique modus qui ad rem praesentem maxime facit, est cum aliqua consequenter se habent, ita ut una omnibus communi extremitate concludantur: atque haec dicuntur *continua*, quae propterea sic etiam l. c. definiuntur ab Aristotele: *συνεχῆ ὄν τὰ ἐγγυτά ἐν*, sc. *continua* sunt ea quorum *ultima seu extrema sunt unum*. Hic vero diligenter cavenda est quaedam imaginatio, quae ipsam propriam rationem continui plane perverteret, eamque omnino inexplicabilem efficeret. Nimirum ea in quae continuum dividi potest, minime sunt eiusmodi, ut in signo quodam naturae priori snis quaeque terminis concludantur, et dein quodam quasi glutine invicem copulentur. Sic enim configua dumtaxat evaderent, tametsi unita: hi quippe bini conceptus minime se excludunt. Contra, quae rem vere continuum efficiunt, praecisione facta a quavis eorumdem divisione, sive realiter peracta, sive mente etiam designata, nulla ratione sunt actu plura, sed unum. Pluralitas quippe consequitur divisionem, ut initio diximus. Propterea illud unum, quod in recitata definitione dicuntur esse extrema eorum quae invicem continuantur, non est nisi ipse terminus totius continui; quippe qui est una eademque indivisa extremitas totius et partium. Sic ex. gr. si sumatur corpus aliquod vere continuum, superficies ipsa qua terminatur, est unica et communis extremitas totius et partium; hae quippe, quamdiu ut continuae concipiuntur, propria extrema non habent quae sint actu distincta ab extremitate totius corporis cuius sunt partes (1). Nec re-

(1) Ad rem Angelicus: " Quando corpora prius divisa copulantur, fit una superficies duorum corporum, quia partes corporis continui copulantur ad unum commune terminum qui est superficies una. Quando vero corpus unum dividitur in duo, efficiuntur duae super-

fert dicere, terminos eiusmodi primo et per se esse quidem extrema totius, sed non partium, quae ex. gr. concipiuntur in medio ipsius, puta quae popiores sunt centro in globo aliquo unica superficie contento. Facile quippe respondebitur, partes id genus, eo ipso quod sint tales, primo et per se nulla sibi vindicare posse extrema, sed quemadmodum eis non competit esse nisi in toto et ratione totius, sic nec terminantur nisi ipsis terminis quibus totum ipsum concluditur; nec licet aliter hanc rem imaginari, quin ipsa continuitatis ratio corrumpatur. Ceterum haec melius intelliguntur ex his quae mox subiiciemus.

95. **Indivisibilia in genere quantitatis continuae.** — Tres species quantitatis continuae enumerat Aristoteles l. c. his verbis: *Magnitudinis, quae quidem ad unum continua est, longitudo: quae vero ad duo, latitudo: quae autem ad tria, profunditas est.* Ad cuius rei intelligentiam notandum est, extra animam non dari aliam rem, quae sit magna magnitudine molis corporeae, nisi corpus, prout hoc in genere quantitatis consideratur. In hoc vero semper datur trina dimensio secundum tres lineas perpendiculares quae in idem punctum duci concipiuntur. Possunt autem hae tres dimensiones, seu rationes, vel omnes simul considerari, vel duae, aut altera tantum. Et quoniam diversae emergunt proprietates, quae pro triplici hae consideratione corpori possunt attribui, hinc tres recensitae a Philosopho species magnitudinis enumerantur, scilicet *profunditas* seu *solidum*, quod est ipsummet corpus mathematicae spectatum secundum triplicem simul dimen-

ficies. Quia non potest dici, quod quando corpora duo componentur, quod duae superficies eorum maneant, sed utraque corrumpuntur, id est, desinunt esse. Similiter quando corpora dividuntur, incipiunt esse de novo duae superficies prius non existentes: non enim potest dici quod superficies, quae est indivisibilis secundum profunditatem, dividatur in superficies duas secundum profunditatem, aut linea quae est indivisibilis secundum latitudinem, dividatur secundum latitudinem, aut punctum, quod omnino est indivisibile, quocumque modo dividatur. = (3. *Metaph.*, lect. 13.)

sionem qua gaudet: *superficies*, h. e. ipsummet corpus cum praecisione ab una e tribus dimensionibus: *linea*, h. e. idem corpus, sed spectatum in una dumtaxat e suis dimensionibus. Quare haec inter se sic comparantur, ut quemadmodum solidum ad superficiem, ita haec ad lineam terminari concipiatur: ac propterea recte etiam linea, ut terminus superficiei, haec ut terminus solidi definitur consuevit. Extrema vero seu termini lineae vocantur *puncta*.

Ex his duo facile intelliguntur. Primo patet, indivisibilia in genere quantitatis tria tantum recenseri, *punctum*, *lineam*, et *superficiem*: punctum quidem est indivisibile simpliciter secundum omnem dimensionem, linea vero et superficies dicuntur indivisibiles secundum quid, h. e. duabus vel una tantum dimensione spectata. Omnibus vero istiusmodi indivisibilibus convenit *habere positionem*, quemadmodum id convenit ipsi quantitati cuius sunt termini [93]. Colligitur secundo, haec indivisibilia esse vel *pure terminantia* vel *continuantia*, prout sic terminant corpoream dimensionem, ut non ultra progrediantur, vel sunt simul extrema unius magnitudinis et principium alterius. Exemplum indivisibilis pure terminantis habes in superficie qua globus concluditur: exemplum vero indivisibilis continantis esse potest linea, in quam convergunt hinc superficies ad angulum se intersecantes. Ut *mere* autem *continuantia* concipiuntur indivisibilia, quae intra ipsam continuum imaginamur quasi nexus partium in quas dividi potest.

96. **Quae sit propria realitas indivisibilium descriptorum.** — Hic vero famosa movetur quaestio, an et cuiusmodi realitas his indivisibilibus asserti debeat. Ne plus aequo hoc volumen excrescat, et quia utiliora et graviora tractare oportet, paucis aperiam quid in re tam subtili propinquius veritati mihi esse videtur.

I. Si haec spectantur, prout sunt extra mentem et in re ipsa, ea nihil sunt aliud, nisi ipsimet termini intrinseci magnitudinis, vel qui resultant ex ipsius divisione iam peracta, vel ad quos magnitudo est in potentia ex divisione cui subesse potest. Quatenus divisio actu facta

est, sive reipsa sive mentis designatione, indivisibilia habentur terminantia: quatenus contra talis divisio extat in potentia dumtaxat, indivisibilia erunt continuantia. Haec est expressa doctrina tum Aristotelis tum Aquinatis. Sententia Aristotelis maxime patet ex his, quae (2. al. 3. *Metaph.* c. 5.) docet contra Platonicos illos, qui in istiusmodi indivisibilibus reponebant ipsam substantiam rerum. Rationem petit praecise ex eo, quod puncta, lineae, et superficies aliud non sint, nisi *περὶ τὰ ἡ διαίρεσιν*, sc. *termini vel divisiones*, quae propterea minime constituere possunt ipsam substantiam cuius termini sunt vel esse queunt. Quare S. Thomas hanc sententiam propriam efficiens, sic ait in h. l. commentarium. * Puncta et lineae et superficies non sunt substantiae. Haec enim oportet aliquorum corporum esse terminos; nam punctum est terminus lineae, linea superficiei, et superficies corporis..... Haec enim in continuo non sunt in actu, nisi solum quantum ad illa quae terminant continuum, quae manifestum est non esse substantiam corporis: aliae vero superficies vel lineae non possunt esse corporis substantia, quia non sunt actu in ipso; substantia autem actu est in eo cuius est substantia. (loc. cit. lect. 13.) Id ipsum alibi repetit. * Punctum, ait, intra lineam est in potentia ante lineae divisionem, in actu vero cum linea iam est divisa, *quum punctum sit ipsa lineae divisio.* (6. *Physic.* lect. 8.) Neque obstat, quod saepe dici solet, cum linea describitur ut dimensio quaedam causata ex motu puncti, superficies ex motu lineae, et solidum ex motu superficiei: id quippe dicitur solum ad imaginationem iuvandam, non quia res ita habeat secundum veritatem.

II. Hinc ulterius efficitur, indivisibilia terminantia non esse accidens quoddam positive ac reipsa distinctum a magnitudine ipsa, quae iis terminatur, sed in recto denotant hanc ipsam magnitudinem, connotando simul privationem secundum quam ulterius non progreditur seu extenditur. Id quippe est de ratione cuiusque termini intrinseci in quocumque genere, quemadmodum etiam in Philosophia Prima locuti fuimus agentes de subsistentia

vel supposito [540]. Scilicet, quemadmodum, in genere substantiae, ut esse cuiusque suppositi in se terminari dicatur, minime opus est positiva aliqua realitate vel modalitate superaddita; sic etiam simili additamento non indigemus, quo intrinsecum terminum in aliis generibus, ac nominatim in quantitate, concipiamus. Praeterea illud videtur satis manifestum, etsi fiat abstractio a tali modalitate vel entitate superaddita, magnitudinem, eo ipso quod finita sit, terminatam in se manere oportere: ergo terminus de quo agimus, nequit in praedicta modalitate vel entitate consistere. Nec refert, quod contactus corporum non contingat, nisi in aliquo indivisibili. Ut enim optime notat Ludovicus De San: "Contactus non est nisi *indistantia duorum corporum* in hoc consistens, quod ibidem ubi *desinit* extensio unius corporis, *desinit* etiam ex parte adversa extensio corporis alterius. Ex quo perspicuum fit non aliter duo corpora sese tangere, nisi secundum quod in positiva sua realitate extensa afficiuntur negatione sive ulterioris profunditatis, si se tangunt superficialiter, sive ulterioris extensionis superficialis, si se tangunt linealiter, sive ulterioris extensionis linearis, si se tangunt punctualiter." (*Cosmologia*, P. I. c. 3. § 1. fin.)

III. Cum indivisibilia continuantia, prout huiusmodi, nulla sint actu in continuo, sed in potentia tantum; concipiuntur quippe, ut diximus, tanquam termini divisionis, non quae actu facta sit realiter vel mentis designatione, sed quae dumtaxat fieri aut designari potest: necessario fit consequens, ut in re vere continua nulla sit actualis pluralitas partium quae sic invicem continentur; omnis quippe pluralitas consequitur divisionem. Atque haec est etiam expressa doctrina Aquinatis. "Unitas, aut, rei consequitur esse ipsius. Partes autem alicuius homogenei continui ante divisionem non habent esse actu, sed potentia tantum; et ideo nulla illarum habet unitatem propriam in actu. Unde in actu non est accipere ipsarum numerum, sed potentia tantum." (*1. Dist. 10. q. 1. a. 3. solut. 3. ad 1.*) Et alibi. "In partibus continui, duo dimidia unius lineae duples sunt in potentia in ipsa linea dupla, quae

est una in actu." (*7. Metaph. lect. 13.*) Quod etiam dixerat Aristoteles his verbis. *In continuo non sunt dimidia actu, sed potentia tantum; quod si actu fierent, continuum non facerent.* (*8. Phys. c. 8.*) Hoc vero minime significat, illam ipsam entitatem partialem qua partes constant, materialiter spectatam, actu non esse in continuo, sed potentia, ea ferme ratione qua sunt elementa in mixto; id quippe excluditur per ipsam definitionem *quanti* traditam a Philosopho [93]: sed actualitas quae hac loquendi ratione negatur, ea est dumtaxat quam consequitur unitas; sic quippe partes continui non habent unitatem aliam ab unitate totius.

97. Num partes continui dicendae sint actu invicem distinctae, vel potentia tantum. — Hic vero sponte se offert alia subtilis quaestiuncula. Esto, partes in continuo ratione iam facta non dicantur actu plures vel divisae, sunt ne tamen *actu* invicem *distinctae*, puta binae medietates alicuius globi vere continui? Distinctio quippe non videtur opponi *unitati*, sed soli *identitati* eorum quae distincta esse dicuntur.

Ut sincere fatear quod in hac re sentio, suppositis his quae praemisimus, haec mihi videtur, non quaestio de re ipsa, sed potius de loquendi modo. Si enim semel supponatur magnitudo vere et formaliter continua, negari non posse videtur, per ipsius divisionem actu peractam minime produci seu de novo generari entitatem ipsam partium in quas divideretur: id quippe non habetur per divisionem mere quantitativam, sed per alterationem, ut expresse paulo ante notavimus cum S. Thoma. Porro hoc tantum probant rationes illorum auctorum, qui partes continui actu distinctas esse volunt. Sed, etsi hoc verum est, haec tamen loquendi ratio mihi non multum probatur, sed malo usurpare loquendi modum adhibitum a S. Thoma, qui utramque vocem, *distinctio* scilicet et *divisionis* indifferenter in hac re usurpare consuevit. Et recte quidem. Si enim attente res consideretur, eatenus proponitur ipsa quaestio, utrum ex. gr. in globo aliquo medietas inferior actu distinguatur a medietate superiori, vel quae dextrot-

sum iacet ab ea quae sinistrorsum, eatenus, inquam, haec ipsa quaestio proponitur, quatenus iam, mentaliter saltem, lines aliquis communis, puta linea vel superficies, quo binae partes de quarum distinctione quaeritur, invicem determinentur. Atqui, per istiusmodi mentalem designationem ipsa *divisio* harum partium designatur: ut enim paulo ante diximus cum Aristotele et Angelico, quemadmodum punctum est ipsa divisio lineae, ita haec est ipsa divisio superficies, et superficies est ipsa divisio solidi. Ergo praedicta quaestio ne proponi quidem potest, nisi consequenter ad divisionem aliquam actu, mente saltem, designatam. Quare cum ea affirmative resolvitur, dicendo scilicet, eiusmodi medietates esse *actu distinctas*, eo ipso affirmatur esse *actu divisus*, *divisione scilicet quae actu est, non quidem realiter facta, mente tamen designata*. Si itaque ab hac ipsa mentis designatione fiat praecisio, ac propterea si continuum per se et secundum se consideretur, quemadmodum divisio non est nisi potentialis, ita et distinctio. Praeterea, ut bene observat Ludovicus De San paulo ante laudatus. * Distinctio, sicuti omnis respectus, importat pluralitatem aliquam. Immo distinctio formaliter stat in hoc quod unum distinctorum non est aliud; ubi autem est *unum* et *aliud*, ibi est pluralitas quaedam. Sed non aliter est possibile in continuo actu existere pluralitatem quandam, nisi quatenus in eo actu existunt limites quorum unoquoque figuratur finis unius realitatis extensae et principium alterius realitatis extensae. Ubi enim secundum nullum modum considerationis actu viget finis unius realitatis et principium alterius realitatis, ibi omnimodis et simpliciter non est actu nisi una realitas. Sed in continuo limites, quorum unoquoque figuratur finis unius realitatis extensae et principium alterius realitatis extensae sunt indivisibilia continuantia. Haec autem in continuo per se inspecto non sunt actu, sed potentia.... Non est ergo in continuo per se inspecto actualis aliqua pluralitas. Ergo nec in eodem per se inspecto est actualis aliqua partium distinctio. (loc. cit. n. 154.)

Neque obstat in contrarium difficultas initio indicata,

scilicet partes in continuo, etiam per se spectato, minime actu invicem *identificari*, ac propterea actu invicem *distinctas* esse oportere, quippe cum identitas et distinctio ut immediate opposita habeantur. Etsi enim identitas et distinctio medium non habent, existit tamen aliquid medium *inter distinctionem actualem et identitatem actualem*. et hoc est ipsa *distinctio potentialis seu realis distinguibilitas*. Habes exemplum huius rei manifestum in elementis relate ad mixtum. Certe, cum oxigenium et hydrogenium miscentur invicem, ut constitutur aqua, minime dici potest ea invicem identificari actu; est quippe absolute impossibile ut duo realiter distincta mutuo identificentur. Nec etiam dici potest, ea in aqua, vel nullo modo esse, vel esse quidem sed actu invicem distinguere: id quippe veram mixtionis notionem corrumpere, ut ante docuimus. Ergo inter actu esse idem, et actu distinguere, datur medium, illudque positivum, quod habetur scilicet cum aliqua, etsi non sunt actu distincta, sunt actu distinguibilia, sive per alterationem, ut in exemplo recitato, sive per quantitativam divisionem, ut in continuo.

98. **Quantitas discreta.** — Ex divisione continuaee magnitudinis resultat quantitas discreta. Haec porro censetur species eaque distincta sub hoc praedicamento ordinata, quia et partes ipsius quantitati corporeae vere subiciuntur, et partis rationem habent omnino aliam ab ea quae invenitur in partibus quantitatibus continuaee, ut ipsum nomen quantitatibus discretas significat. Neque obstat, quod nullam unitatem proprie dictam talis quantitas habeat; nec praeterea videatur ei convenire definitio Aristotelica quantitatibus in communi initio exposita, cum sit aliquid non *divisibile*, sed *divisum*. Ad primum quippe respondetur, non omnia quae in praedicamentis ordinantur, requirere propriam et per se unitatem, sed interdum sufficere unitatem ordinis, vel secundum se, vel in modo concipiendi, prout scilicet plura in aliqua una definitione coadunantur. Id autem habetur in re praesenti; quare haec quantitas est per se obiectum scientiae, puta Arithmeticae. Ad alterum vero dicendum, huius speciei quantitatem eo modo esse

divisibilem quo est una. Est porro una, non unitate reali et per se, sed unitate rationis atque ordinis, quae scilicet consistit in ipsa partium *numerabilitate*. Et hoc aperte significavit Aristoteles, cum immediate post definitionem recitatum, haec subdit. *Multitudo igitur, quantum quid, si numerabile est; magnitudo vero, si mensurabile. Dicitur autem multitudo quidem, quae potentia divisibilis est in non continua; magnitudo vero, quae in continua.*

99. **Numerus praedicamentalis.** — Quoniam hic sermonem fecimus de numerabilitate, quae est propria divisibilitas quantitatis discretae, praestat hic aliqua addere iis quae de numero generatim diximus in Philosophia Prima [458]. Haec itaque observa.

I. Ratio propria numeri, in universum considerati, consistit, ut l. c. diximus, in quodam ordine quo plura ut plura in collectionem determinatam ita colliguntur, ut communi aliqua unitate eiusdem rationis aliquoties repetita commensurentur. Ex quo patet, dari extra mentem res vere numerabiles, neque propterea *numerabilitatem* ipsam esse aliquid a mente confictum; formalis tamen *numeri* ratio non completur actu nisi per mentem. Et hoc videtur significasse Aristoteles, sic inquires: *Quando enim numerans esse nequit, impossibile est esse numerabile. Quare manifestum est, ne numerum quidem esse posse: numerus enim est, vel quod est numeratum, vel quod est numerabile.* (4. *Physic.* c. 14, al. 20.) Scilicet, quemadmodum esse cognitum est denominatio extrinseca proveniens a cognoscente, ita esse numeratum est denominatio extrinseca proveniens ab actu animae numerantis. Ergo, sicut, ablata cognitione, manet quidem res cognoscibilis, sed non actu cognita, ita, ablato actu animae numerantis, res quidem est numerabilis, sed non numerata. Numerus porro dicitur id quo aliquid numeratur.

II. Quemadmodum duplex est multitudo, sic etiam duplex est numerus, *praedicamentalis* scilicet, et *transcendentis*. Ad rem S. Thomas, "Ornis pluralitas consequitur aliquam divisionem. Est autem duplex divisio. Una materialis, quae fit secundum divisionem continui; et hanc

consequitur numerus qui est species quantitatis. Unde talis numerus non est nisi in rebus materialibus habentibus quantitatem. Alia est divisio formalis, quae fit per oppositas vel diversas formas; et hanc divisionem sequitur multitudo, quae non est in aliquo genere, sed est de transcendentes, secundum quod ens dividitur per unum et multa. Et talem multitudinem solam contingit esse in rebus immaterialibus... Multitudo autem sic accepta hoc modo se habet ad multa de quibus praedicatur, sicut unum quod convertitur cum ente... Numerus autem, qui est species quantitatis, ponit quoddam accidens additum supra ens, et similiter unum quod est principium illius numeri." (*Summa th.* 1. p. q. 30. a. 3.) Hinc patet, numerum praedicamentalem idcirco esse huiusmodi, h. e. *de genere quantitatis*, non praecise ab ipsam formalem rationem numeri seu numerabilitatis; haec quippe invenitur etiam in rebus spiritualibus; sed ratione rerum numerabilium, quippe quae et quantitate afficiuntur, et rationem habent extraneitatis seu extrapositionis ad invicem diversam ab ea quae cernitur in quantitate continua.

III. Unitas numerica dupliciter dicitur. Uno modo prout opponitur unitati *universali*, atque ita numerica vocatur, ut significet, non quidem *unum de numero*, sed *unum sine numero* [*Pr. Ph.* 331, 361]. Alio modo numerica unitas ea dicitur, quae est numeri principium, quae propterea et ipsa est de genere quantitatis, si numerus, cuius principium dicitur, in eodem genere continueatur, si scilicet numerus sit praedicamentalis. Dicitur porro talis unitas principium numeri, tum materialiter, tum formaliter. Materialiter quidem, quia numerus constat unitatibus, ut ipsa multitudo seu pluralitas. Formaliter vero, quia numerus quilibet ab *ultima* unitate speciem desumit: haec enim trahit ceteras omnes ad determinatam speciem, ita ut ex gr. si tertia sit, ternarius, si quarta, quaternarius numerus constituatur (1).

(1) * Dicendum est, ultimam unitatem non dici formam numeri eo

100. Numquid aliae, praeter enumeratas, quantitatis species existant. — Huc usque recensimus diversas quantitatis species quae rei per se quantae conveniunt, atque haec enumeratio completa est. Nec refert quod Aristoteles (*Categor.* c. 4. al. 6.) quasi species quantitatis recenset etiam *locum, tempus, orationem*, quibus etiam addi potest *motus* proprie dictus. Locus enim, praeter superficiem corporis locantis, non importat nisi *ordinem* quendam ad corpus localum: talis porro ordo non est specialis modus quantitatis. Tempus quantitatem habet ex motu cuius numerus dicitur; motus autem vel nullo modo pertinet ad genus quantitatis, sed reducitur ad genus sui termini, ut est alteratio quae ad qualitatis genus revocatur, vel si sit secundum quantitatem, ut est ex. gr. augmentatio, et motus localis, non requirit specialem aliam quantitatem diversam a quantitate subiecti vel medii in quo vel per quod fit istiusmodi motus. Oratio denique, praeter mul-

quod in rebus ipsis sit aliqua unitas prima vel ultima, vel aliquis realis ordo inter illas unitates. . . . Quia in rebus ipsis non potest esse ordo, nisi vel perfectionis, vel situs, aut distantiae a coelo, aut temporis aut causalitatis vel naturae. Sed omnes isti ordines sunt per accidens et impertinentes ad numeri compositionem, ut facile constabit discurrere per singulos. Ergo. Debet igitur necessario id intelligi in ordine ad rationem, quae in singulis numeris concepit ordinem unitatum, inter quas ea quae est ultima censetur numerum complere, et ab aliis illam distinguere, et ideo dicitur comparari ad illam ut formam eius. In quo est secundum considerandum, non fuisse D. Thomae sensum, hanc esse formam proprie dictam, sed analogam et proportionem quadam, quae iam fere explicata est. Scilicet, quia forma est quae complet rei essentiam eamque ab aliis distinguit et in certo ordine et gradu indivisibilitate constituit. Haec autem omnia suo modo confert ultima unitas numero. Propter quod etiam Aristoteles dixit, species rerum se habere sicut numeros. Unde etiam multitudo priorum unitatum videtur comparari ad ultimam ut quid actuabile per illam. Ac tandem per additionem vel subtractionem ultimae unitatis mutatur species numeri. In his ergo omnibus assignatur unitas ultima formae, seu differentiae ultimae, quod satis est ad illam analogicam locutionem. . . . SANZ (*Metaph.* D. 41. sect. 5. n. 12, 13.).

litudinem vocum et syllabarum, quae ad genus quantitatis minime spectant, dicit durationem quamdam, prout tardius aut velocius proferuntur; et haec revocatur ad tempus, quod, ut diximus, non est specialis modus quantitatis. Ideo vero Aristoteles (*Categ.* l. c.) haec inter species quantitatis recensuit, quia analogiam quamdam servant cum proprio modo essendi qui ad quantitatem pertinet; quare (*l. al. 5. Metaph.* c. 13.), ubi naturam rei per se quantae examinat, recenset tantum species enumeratas.

SECTIO II.

Utrum quantitas molis sit res distincta a substantia.

101. Ratio tractationis. — In praecedenti sectione quantitatem expendimus in sua concretionem ad rem quae quanta dicitur, et ita generali quodam conspectu ipsius naturam contemplati sumus. Subtilior modo quaestio examinanda se offert, de ipsa scilicet quantitate secundum se ut est forma quaedam a substantia praecisa. Haec porro quaestio sponte in duas alias subdividitur, quarum resolutio necessaria est, ut propria ratio corporeae quantitatis rite explicetur. Primo itaque controversatur, utrum substantia corporea per se ipsa molem hanc sensibilem sibi vindicet, ratione cuius quantitativam illam divisibilitatem habeat quam initio praecedentis sectionis cum Aristotele declaravimus: vel contra id ei proveniat ex forma quadam accidentali ei superaddita. Deinde, si hoc postremum affirmari debet, quaeritur ulterius, quid sit proprie illud praedicatum quod substantia ex huiuscemodi forma primo et per se nanciscitur, et ex quo quasi ex radice profluere dignoscantur cetera quae rei quantae, prout huiusmodi, attribui debent. Ex prioris quaestionis resolutione proprium genus, ex alterius vero resolutione propria et

essentialis differentia huius formae dignoscitur. In praesenti sectione primam quaestionem dumtaxat expendemus, et ut res clarius appareat, de ipsa separabilitate quantitatis a substantia sermonem habebimus; sic quippe facilius et evidentius apparebit, quantitatem esse rem vere et physice ipsi substantiae superadditam. Quamvis porro, sistendo in sola ratione naturali, res cum omnimoda certitudine forte non definiatur (1), potest tamen ita tractari, ut et gravissimis theologiae quaestionibus non parum deserviat, et ipsae naturales notiones nullum perferantur, ac oppositi errores praecaveantur. Sit itaque

THESIS XII.

Philosophice minime demonstratur, quantitatem corpoream esse huiusmodi, ut nec divina virtute a substantia separata consecrari queat: quin naturali rationi valde consentaneum est, ut oppositum asseratur.

102. *Probatur I. pars.* — Antequam probetur quod primo loco affirmamus, praemittenda est regula plane egregia S. Thomae, quae in rebus huiusmodi semper prae-

(1) Id prudenter notavit Suarez, qui de sententia asserente, quantitatem molis esse rem distinctam a substantia materiali, ita pronuntiat. "Haec sententia est omnino tenenda. Quamquam enim non possit ratione naturali sufficienter demonstrari, tamen ex principiis theologiae convincitur esse vera, maxime propter mysterium Eucharistiae. Ex quo etiam ipsa naturalis ratio illustrata intelligit, ipsi etiam naturis rerum esse veritatem hanc magis consentaneam ac conformem." (*Metaph. D.* 40. sect. 2. n. 8.) In num. vero praecedenti plura et egregia testimonia Aristotelis adduxerat quibus manifeste ostenditur, huic distinctioni Philosophum multum admodum favere.

oculis haberi debet. "Dupliciter, ait S. Doctor, potest dici aliqua propositio non intelligibilis. Uno modo ex parte intelligentis, qui deficit intellectus; sicut haec propositio, *In tribus personis divinis est una essentia*: et huiusmodi propositio non oportet quod implicet contradictionem. Alio modo ex parte ipsius propositionis: et hoc dupliciter. Uno modo, quia implicat contradictionem absolute, sicut, *Rationale est irrationale*; et huiusmodi nullo miraculo verificari possunt. Alio modo, quia implicat contradictionem aliquo modo, sicut ista, *Mortuus redit ad vitam*, virtute scilicet propria; cum ponatur hoc, quod dicitur mortuum, omni principio vitae destitutum: et haec possunt verificari miraculo, superiori virtute operante." (Super Boëth. *de Trinitate*, q. 4. a. 3. ad 1.) Quare, ut naturali ratione demonstretur, quantitatem corporum esse rem ab eorumdem substantia inseparabilem, minime satis est, ut opposita separabilitas ab aliquo non intelligatur; id quippe potest accidere ex infirmitate intellectus: nec iterum sufficit, ut, *corporibus connaturali modo se habentibus*, nec corpus sine quantitate, nec vicissim quantitas a substantia separata haberi possit; id enim naturalem quidem, sed non absolutam utriusque connexionem arguit. Requiritur itaque, ut mens dignoscat, et quidem evidenter, in nulla hypothesis hanc dissociationem concessi posse, quin eo ipso duo contradictoria fore simul concedatur.

His positis en argumentum. Descripta contradictio ex triplici capite ostendi potest, videlicet eo quod demonstretur vel quantitatem esse unum idemque cum substantia, vel cum ea ita connecti, in ratione sive causae materialis sive causae efficientis, ut eiusmodi nexus sine manifesta contradictione disrupti non possit. Atqui nihil horum demonstrative convincitur. Prob. hoc per partes.

I. Imprimis itaque philosophice non demonstratur, substantiam corpoream cum sua quantitate esse unum idemque. Nam ex una parte essentia substantiae corporeae in eo est, ut sit *substantia ex materia et forma composita cui trina dimensio debetur*; ex alia parte quantitas corporea ab omnibus intelligitur, ut *illud unde proxime*

et formaliter praedicta trina dimensio substantiae convenit. Atqui haec sine ulla contradictione concipiuntur, si dicatur quantitas esse dumtaxat proprietates corporeae substantiae, distincta quidem, naturalis tamen. Nec opponatur, in ipso conceptu materiae involvi quantitativas dimensiones in longum, latum, et profundum. Materia siquidem, secundum se, concipi debet, ut pura potentia ad omnem actum, sive substantialem, sive accidentalem, ac propterea etiam sic se habere debet quoad actum dimensionum quantitativarum, nec certe oppositum demonstrative probatur.

II. Connexio quantitatis cum substantia, ut formae cum sua causa materiali vel subiectiva, non est alia a generali dependentia accidentis a substantia, ut a subiecto inhaesionis. Porro neque ex hoc capite manifesta contradictio ostenditur in hypothesi quam tuemur. Etenim illa inhaesio requiritur et sufficit, ne ipsa notio accidentis corumpatur, qua intellecta eo ipso accidens a substantia differt. Atqui adhuc permanet differentia inter substantiam et accidens, si praedicta inhaesio intelligatur secundum naturalem exigentiam dumtaxat; siquidem oppositum convenit substantiae, quippe cui naturaliter debetur esse in se, non in alio. Ergo, ne accidens in substantiam convertatur, satis est, si ex naturali sua exigentia habeat esse in alio. Atqui rursus haec naturalis exigentia minime tollitur eo quod *divina virtute* servetur quantitas a substantia separata, ut contingit in aliis quae miraculo accidunt. Ad rem S. Thomas. * Dicendum, quod cum ens non sit genus, hoc ipsum quod est *esse*, non potest esse essentia substantiae vel accidentis. Non est ergo definitio substantiae ens per se sine subiecto, nec definitio accidentis ens in subiecto; sed quidditati seu essentiae substantiae competit habere esse in subiecto; quidditati autem sive essentiae accidentis competi habere esse in subiecto. In hoc autem Sacramento, (h. e. Eucharistiae), *non datur accidentibus quod ex vi suae essentiae non sint in subiecto, sed ex divina virtute sustentante, et ideo non desinunt esse accidentia, quia nec separatur ab eis definitio accidentis,*

quae est aptitudo ad subiectum, quae semper manet in eis, non actualis inhaerentia; nec competit eis definitio substantiae. (Summa th. 3. p. q. 77. a. 1. ad 2.) Confer quae in Philosophia Prima diximus [516]. Neque opponi potest in hac re, quantitatem esse de illorum genere accidentium, quibus nullum aliud esse convenire potest, nisi in actuali eorumdem coneretione cum subiecto, cuiusmodi sunt ex. gr. actus vitales, motus, aliaque id genus. Id quippe enascitur ex *propria* et *speciali* conditione talium accidentium, non vero ex *generali* quadam ratione omnibus communi; quare minime licet ex uno ad aliud hoc solo titulo arguere.

III. Tandem quicumque asseratur influxus effectivus substantiae in quantitatem, nihil velat, suppleri possit virtute divina: quod rursus egregie S. Thomas ita declarat. * Causa prima est vehementioris impressionis supra causatum causae secundae, quam ipsa causa secunda. Unde quando causa secunda removet influentiam suam a causato, adhuc remanere potest influentia causae primae in causatum illud. Cum ergo causa prima accidentium sit substantia, quia accidentia ex principiis substantiae causantur, poterit Deus accidentia in esse conservare, remota etiam causa secunda, scilicet substantia. Et ideo absque omni dubitatione dicendum est, quod Deus potest facere accidens esse sine subiecto. (4. Dist. 12. a. 1.) Haec ratio S. Doctoris generalis est, ac respicit influxum quemcumque pure effectivum substantiae secundae in suos effectus; comprehendit igitur etiam illum, quicumque sit, quod supponatur quantitas pendere a sua substantia.

103. *Probatio II. partis.* — Duo certa sunt, partim fide, partim naturalis rationis lumine. Primo quidem catholica fides docet, peracta prima consecratione, nihil omnino substantiae panis in hostia consecrata superesse. Secundo, evidens est, naturali ratione, sensus eodem ipsissimo modo ac antea affici a proprietatibus per se sensibilibus panis, inter quas recensetur quantitativa magnitudo panis, utpote sensibile, commune quidem, per se tamen. Iam vere in his obiectis attingendis nulla facultas recte

disposita fallitur, cum praesertim valde indecorum sit, falsitatem ullam tanto mysterio intermisceri. Quare Ecclesia in festo Corporis Dni. * *Accidentia*, ait, *sine subiecto, in eodem* (Sacramento) *subsistant, ut fides locum habeat, dum visibile invisibiliter sumitur aliena specie occultatum, et sensus a deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus indicant sibi verbis.* * (Offic. lect. V.) Quod etiam his verbis Angelicus exponit, solvens difficultatem sic propositam. * In sacramento veritatis non debet esse aliqua deceptio. Sed per accidentia iudicamus de substantia. Videtur ergo quod decipiatur humanum iudicium, si remanentibus accidentibus substantia panis non remaneret. * Respondet S. Doctor. * Dicendum, quod in hoc sacramento nulla est deceptio; sunt enim ibi secundum rei veritatem accidentia, quae sensibus diiudicantur. Intellectus autem, cuius est proprium obiectum substantia, ut dicitur in 3. de Anima, text. 29., per fidem a deceptione praeservatur. * (Summa th. 3. p. q. 75. a. 5. ad 2.)

Confirmatur excludendo triplicem exceptionem quae contra hanc doctrinam fieri consuevit.

Fuerunt itaque nonnulli, ut Emm. Maignan (*Philosophia sacra*, to. 1. c. 22.), qui duce Cartesio (*Respons.* ad 4. et 6. obiecl.), species sacramentales vulerunt esse phaenomenon quoddam plane subiectivum, quatenus Deus immediate et per se ipse in sensibus nostris producat easdem illas sensationes quae antea producebantur ab extensione corporea ceterisque panis et vini accidentibus. Sed haec explicatio et antiquis theologis inaudita fuit, et apud recentiores etiam plerisque male sonat, idque merito. Nec enim Deo digna esse videtur, et praeterea difficile admodum apparet, quo pacto cum sacramenti ratione, unitate, et permanentia componi possit.

Ut haec incommoda recentiores alii vitarent, ac simul vera et propria accidentia de medio pellerent, has apparentias vulerunt esse, a Deo quidem miraculose productas, sed mediis particulis aetheris, quae substantiae panis et vini admixtae sunt, et eundem ordinem eandemque texturam inter se servant eodemque motu locali

cientur, ut ante, Deo scilicet haec omnia circa atomos aetheris praestante. * Sed, ut recte omnino observat M. Liberatore, si accidentia revera non manent, earum repraesentatio, undecumque producta fingitur, semper falsa erit et obiectivitate prorsus destituta. Praeterea, ordo ille et textura quae dicuntur permanere, perperam et vocis abusu appellarentur accidentia panis et vini, cum reapse non sint nec fuerint nisi accidentia aetheris, cui inhaerent et cui inhaerebant. * (*Institutiones Philosophicae, Cosmolog.* n. 70, nota.) Excluditur etiam hic explicandi modus, tum ob gravissima argumenta auctoritatis quae ex theologiae principii recte expendit Card. Franzelin in suo tract. *De Sacr. Eucharistiae*, tum etiam quia perperam in eo supponitur, obiecta per se sensibilia obiective et realiter nihil aliud esse nisi purum motum localem, cuius positionis falsitatem opportuniore loco ostendemus.

Alii denique cum Nominalibus dixerunt, accidentia quidem *propria*, puta colorem, saporem, etc., reipsa manere sine subiecto in Sacramento, non vero quantitatem ipsam panis et vini. Nimirum isti tot distinguebant quantitates, quot sunt substantiae accidentia corporalia, et quemadmodum quantitas substantiae panis est unum idemque, ex ipsorum sententia, cum substantia panis, sic etiam quantitas ex. gr. coloris cum ipso colore identificatur. Ceterum haec sententia iam fatetur, dari posse accidentia veri nominis sine subiecto, quae est potissima difficultas, eum distinctio quantitatis a substantia a recentioribus nonnullis negatur; et praeterea nec ipsa undequaque cohaeret cum veritate accidentium sacramentalium quae sensus testantur. Ut enim recte observat Suarez: * Hostia consecrata ita est quanta et extensa in suo loco, ut naturaliter non possit in eodem simul esse aut penetrari cum alia hostia consecrata, aut cum quovis alio corpore. Hoc autem provenire non potest ex sola quantitate albedinis, vel aliarum qualitatatum. Ergo. Probat minor. Quia qualitates cum sua propria, et, ut dicam, entitativa extensione penetrabiles sunt, tam inter se, quam cum quantitate substantiae panis; simul enim cum illa erant in eodem situ:

ergo eadem ratione sunt penetrabiles in eodem spatio cum quibuscumque aliis qualitatibus, et cum quacumque substantia, si nihil aliud est: ergo vel dicendum est, species consecratas ex se non repugnare simul esse in quocumque loco cum alio corpore, sed Deum solum speciali virtute id impedire ne mysterium patefiat, quod satis absurdum est; vel fatendum est, manere in accidentibus consecratam rem aliquam ex natura sua repugnantem et loco impenetrabilem cum aliis substantiis. Haec autem nulla alia esse potest, nisi quantitas substantiae, ratione cuius una substantia corporea est naturaliter impenetrabilis loco cum alia. Ergo. (Metaph. D. 40. sect. 2. n. 10.)

104. *Coroll. I.* — **Quantitas corporalis est accidens physicum proprii nominis.** — Constat enim ex praecedentibus, quantitatem esse rem a substantia corporea distinctam; seorsum enim nec divina virtute conservari posset ab ea separata: constat etiam intra substantiae genus minime contineri. Atqui haec duo non conveniunt, nisi accidenti physico veri et proprii nominis. Confirmari potest duplici ratione, quae, etsi per se non omnino evidenter convincit, ostendit saltem, hanc distinctionem esse rationi ipsi naturali valde consentaneam. Prima ratio ducitur ex distinctione reali, quam in Philosophia Prima probavimus existere inter substantiam creatam eiusque potentias operativas [640, seqq.]. Nam etsi quantitas non sit eiusmodi potentia; potentiae siquidem operativae ad genus qualitatis revocantur: par videtur esse utrobique distinctionis ratio. Sicut enim potentia operativa per se ordinatur non ad ipsum esse primum, substantiale scilicet, sed ad esse quoddam secundarium, cuiusmodi est operatio: sic etiam substantia, ratione quantitatis, videtur per se ordinari ad actum quemdam, qui licet operatio non sit, subaudit tamen actum primum seu substantialem rei. Nam ratio substantiae, etiam corporeae, puta aquae, secundum se est plane absoluta, nec respectum dicit ad locum maiorem vel minorem, immo bene intelligitur, non contempletur localibus dimensionibus vel distantis; contra, si spectetur prout substatur quantitati, quippe quae suapte

natura respectiva est ad spatium et locum. Altera ratio est, quia, ut expresse notavit Aristoteles (2. *De Anima*, c. 6.), quantitas est per se sensibilis, substantia vero non est sensibilis nisi per accidens; solo quippe intellectu attingi potest, cuius naturae sit id quod substatur determinatis dimensionibus, quas experimur, huius vel illius rei.

105. *Coroll. II.* — **Potest substantia corporalis divina virtute existere sine quantitate.** — Plus enim dependet quantitas a substantia, quam substantia a quantitate. Esse quippe accidentis subaudit esse substantiae, ut aliquid natura prius [*Pr. Ph.* 517, III. nota]. Atqui videtur esse a recta ratione alienum, ut concedatur divinae virtuti, per se suppleat dependentiam maiorem, quin tamen supplere per se possit eam quae minor est. Ergo, consequenter ad principia stabilita, id minime negari posse videtur (1).

(1) Cl. L. De San in opere quod non semel laudavimus, hanc doctrinam ut plane *absurdum* traducit (n. 195.), idque inde explicat quod *eandem omnino actione extrinseci* agentis, qua producit substantia, producantur etiam accidentia propria, ac propterea quantitas. Hinc deducit, non posse a Deo impedi actionem qua conservatur quantitas, quin eo ipso impediatur ea qua conservatur substantia. Verum, aliis omissis, doctus vir debuisset animadvertere, hoc argumentum, si valeret, retorqueri omnino posse in ipsam thesiam quam l. c. defendit, posse videlicet conservari quantitatem sine substantia. Si enim propterea substantia sine quantitate servari non potest, quia una et indivisibili actione utrumque comproduitur, cur vicissim, non obstante hac unitate et identitate actionis, potest tamen quantitas sine substantia conservari? Nobis magis probatur ille modus dinnationis quem declaravimus in Philosophia Prima [645]. Argumentum vero quod laudatus Auctor in contrarium l. c. adducit, ductum scilicet ex vi immanenter operandi, quae sic tribui videretur substantiis omnibus corporeis, iam habes solum ex doctrina Aquinatis quam ante retulimus [52], ac propterea non erat cur tam cito tanquam *evidenter absurda* talis doctrina traduceretur.

SECTIO III.

De effectu formali quantitatis.

106. *Declaratio tituli.* — Nomine effectus formalis cuiusque formae intelligitur illud esse quod subiecto convenit praecise propterea quia cum ea forma uniat, ut potentia cum suo proprio actu, quemadmodum ex gr. esse figuratum est proprius effectus formalis figurae. Quaeritur itaque in praesenti, quid proprie intelligatur convenire substantiae corporeae eo praecise titulo quod quantitate afficiatur. Cum vero nulla attribui solent substantiae quantitate donatae, prout huiusmodi, puta divisibilitas, mensurabilitas, impenetrabilitas, extensio commensurativa loci, magnitudo seu partium in toto extrapositio; hinc totidem fere sententiae existunt quot praedicata modo enumeravimus. Siquidem nonnulli cum Capreolo in divisibilitate, alii cum Simplicio in ratione mensurae, quidam cum Ariaga in ipsa impenetrabilitate hunc effectum consistere voluerunt. Non defuerunt etiam qui, ex Cartesianis principis de essentia corporum, tum quantitatem, tum ipsam corporis essentiam, quae duo unum idemque supponuntur esse, in ipsa extensione locali collocant. Sententia denique apud veteres Doctores Scholasticos, teste Suarez (in 3. p. D. 48. sect. 1. n. 21.), *communis*, id attribuit soli extrapositioni partium in toto, quam initio descripsimus, modo haec intelligatur secundum naturalem rei exigentiam, ut paulo post uberius declarabimus (1).

(1) De hac re confer el. T. Pesch (*Institutiones Philosophiae Naturalis*, n. 246, seqq.). Memineris tamen nos versari in quaestione multum admodum obscura et perplexa, in qua ego profecto mallem edoceri, quam docere.

THESIS XIII.

Ipsa substantialis realitas rei corporeae habet certe transcendentalem seu essentialem ordinem ad quantitatem sibi commaturalem et propriam, eaque multiplicatur pro multiplicatione vel divisione istius; haec tamen realitas vel multiplicatio status minime potest ut effectus formalis et immediatus ipsiusmet quantitatis, quae sit accidens reale reipsa a substantia distinctum.

107. *Explicatio.* — Hanc thesim praemittendam esse existimavimus ad excludendum pravum intellectum, qui progigni posset ex dictis quorundam Doctorum veterum perperam acceptis. Non desunt enim qui asserant, ipsas *partes* substantiae corporeae esse effectum formalem quantitatis; qui loquendi modus posset ab aliquo ita intelligi, quasi ipsa substantialis entitas cuiusque substantiae, et consequens entitativa distinctio unius substantiae ab alia, *prae* et *formaliter* causetur ab ipsa quantitate; quod plane alienum est, tum a veritate, tum a mente veterum Doctorum qui sic loquuti fuerunt. Quocirca, ut in quaestione simili notavimus [*Pr. Ph.* 361, 363, 367, obiect. V], etiam in re praesenti cavendum est, ne duo simul permisceantur, quae oppido differunt, scilicet *ordo* substantiae corporeae ad quantitatem cum hac ipsa *quantitate*. Quare differt omnino, si dicatur haec substantia signata habere ordinem ad hanc quantitatem, et haec alia ad hanc aliam; ac si affirmetur, ipsam entitativam realitatem istius substantiae designatae, eiusque entitativam distinctionem ab hac alia substantia corporea, causari *formaliter* ab ipsa quantitate, quasi neutrum sit intelligibile, nisi ambae substantiae quantitati subiacere intelligantur. In primo casu sermo est de ordine quodam essentiali seu

transcendentali, qui ordo respicit quidem quantitatem, sed cum ipsa substantia identificatur. Respectus quippe transcendentes re ipsa unum idemque sunt cum entitate rerum quae sic referuntur. In altera vero affirmatione, ipsa quantitas assereretur esse principium formale ipsius substantialis realitatis et distinctionis. Illud porro est verum; alterum contra plane et undequaque absurdum, si supponatur scilicet, quantitatem esse accidens a substantia realiter distinctum.

108. *Probatio.* — Hac declaratione praemissa, probatio asserti quoad utramque partem facile desumitur ex ipso conceptu substantiae corporeae et quantitatis.

I. Ac primo quidem, quidquid dicatur de quaestione in sequenti sectione pertractanda, an scilicet descriptus ordo transcendentalis substantiae corporeae ad quantitatem sit nec ne *radix ontologica* numericae pluralitatis substantiarum materialium, nullum tamen est dubium, quin impossibile sit, dari substantialem hanc entitatem et pluralitatem sine hoc ordine. Substantia enim corporalis definitur esse *substantia composita cui trina debetur dimensio*; ergo naturalem ordinem dicit ad quantitatem unde hae dimensiones habentur. Praeterea, cum hae dimensiones situ distinguantur, distinctis corporibus distinctae etiam dimensiones debentur; ex quo fit ut unum corpus in eodem loco cum alio esse non possit: ergo ipsa etiam distinctio substantiarum corporearum est secundum distinctionem dimensionum cuique debitarum.

II. Inde vero minime consequitur, effectum formalem ipsiusmet quantitatis collocandum esse in praedicta substantiali entitate et distinctione. Et ratio non minus perspicua est, quam praecedens. Est enim omnino et evidenter absurdum, ut effectus formalis qui est in genere substantiae, habeatur a forma quae sit verum et proprium accidens reale et physicum: esse siquidem accidentis subaudit substantiam et a substantia causatur. Ergo impossibile est, ut substantialis entitas cuiusque substantiae corporeae sit effectus formalis quantitatis quae sit accidens physicum veri et proprii nominis. Atqui rursus, ut

ex professo in Logica demonstravimus [th. XIX], realis et numerica distinctio unius substantiae ab alia per ipsam cuiusque substantiae realitatem *formaliter* habetur, non per aliquid ei superadditum re ipsa ab hac realitate distinctum. Ergo nec substantialis entitas cuiusque substantiae corporeae, nec substantialis distinctio unius ab alia potest statui tanquam effectus formalis ipsius quantitatis.

Neque huic ratiocinationi obstat, quod distinctio partium in una eademque substantia corporali, (*partium*, inquam, *integralium*), non videtur adesse nisi consequenter ad quantitatem eiusque dimensiones. Non enim ex hoc inferre licet, ipsam entitatem substantialem harum partium quantitati adscribendam esse. Ratio est, quia, ut ante [96] declaravimus, praedicta distinctio non est alia ab ipsa divisione vel divisibilitate rei quantitate affectae: siquidem inde hae partes intelliguntur habere propriam unitatem, sine qua ipsarummet distinctio ad invicem intelligi non potest. Atqui, ut ibidem notavimus, huiusmodi divisio non est generativa ipsiusmet entitatis quae partes constant; sed hoc unum inde efficitur, ut unitate propria subsistere incipiant, quae antea non nisi entitate totius subsistebant. Et huc spectat quod S. Thomas ait. *“ Dicendum quod separatio dat utrique partium totalitatem, et in continuis dat etiam utrique esse in actu. ”* (3. Dist. 5. q. 3. a. 3. ad 3.) Et alibi. *“ Dicendum, quod numerus sequitur divisionem, et ideo quantum quantitas manet indivisa actu, neque substantia alicuius rei est pluries sub dimensionibus propriis...; et per consequens neque infinitis, sed toties in quot partes dividitur... Dicendum, quod illa determinata distantia partium in corpore organico fundatur super quantitate dimensionis ipsius; ipsa autem natura substantiae praecedit etiam quantitatem dimensionem. ”* (Summa th. 3. p. q. 76. a. 3. ad 1. et 2.)

THESIS XIV.

E diversis proprietatibus, quae substantiae quantae, prout huiusmodi, attribuantur, ea qua primo declaratur proprius formalisque effectus quantitatis corporeae, est ipsamet naturalis extensio, seu extrapositio situatis partium in toto.

109. *Declaratio et probatio.* — Generalis ratio huius asserti haec est. E diversis praedicatis quae rei quantae, prout talis est, merito attribuantur, illud assignari debet ut proprius formalisque effectus quantitatis, quo praecise intellecto intelligitur substantia corporea molem hanc sensibilem habere quam quantitatis nomine designamus, nec praeterea subaudit aliud praedicatum quo concepto id intelligatur. Atqui eiusmodi est sola naturalis extensio, seu extrapositio situatis partium in toto. Ergo.

Huius argumenti propositio nota est ex terminis. Minor vero probatur, seu potius explicatur, percurrendo singula praedicata quae substantiae quantitate affectae, prout talis est, attribuantur.

I. *Divisibilitas quantitativa* accipi potest formaliter et fundamentaliter. Primo modo accepta involvit quidem conceptum rei quantae, sed est aliquid consequens ad propriam quantitatis rationem. Siquidem vera est haec causalis: res ideo est divisibilis quantitative, quia est quantitative extensa. Nequit autem intelligi res sub hac extensione, nisi simul ut quantitate affecta intelligatur. Si vero divisibilitas accipiatur alio modo, fundamentaliter scilicet, profecto id verum est; sed res sufficienter non explicatur: merito enim ulterius quaeri potest, in quo reponi debeat eiusmodi fundamentum. Neque obstat definitio Aristotelica initio probata [93]. Est quippe descriptiva, ac potius interpretativa nominis, quam realis et essentialis

ad hoc vero plane sufficit rem declarare per quaecumque proprietatem per se primo rei convenientem.

II. Ratio *mensurae* consistit in aliqua determinata quantitate, quae de se apta est, ut per sui applicationem, semel aut pluries factam, alterius quantitas dignoscatur. Potest accipi active et passive, ac rursus actu et aptitudine. Porro imprimis manifestum est, rationem mensurae actualis, sive active sive passive accipiatur, non necessario, nedum essentialiter, convenire rei quantae: est quippe mera denominatio extrinseca proveniens ex actu rationis conferentis unam rem cum alia. Deinde manifestum est etiam, non posse primam et essentialem rationem rei quantae consistere in ipsa ratione mensurae aptitudinaliter acceptae, nimirum ut dicit idoneitatem in re quanta, sive ut mensuret, sive ut mensuretur. Elsi enim utrumque per se convenit rei quantae, prout huiusmodi, est tamen alia ratio hanc antecedens, in qua conceptus quantitatis adhuc subsistit, nimirum extensio: prius quippe est esse extensum, quam mensurabile, cum sit mensurabile quia extensum, non viceversa.

III. *Impenetrabilitas* dupliciter accipi potest. Uno modo, ut est proprietas resultans ex vi resistendi, quatenus haec stricte accipitur ut virtus activa qua unum corpus aliud a proprio loco repellit. Sic intellecta est aliquid pertinens ad genus non quantitatis, sed qualitatis, tametsi haec qualitatis species omnem rem quantam comitetur. Secundo accipi potest pro ipsa *formali* impossibilitate quam diversae dimensiones habent ad invicem, ne eodem loco commensurentur (1). Atqui, si attente res introspectur,

(1) Invat hic exscribere pulcherrimum D. Thomae testimonium quo haec *formalis* repugnancia, quam corpora invicem habent ne sint in eodem loco, acute declaratur. " Non potest, ait, esse causa huius prohibitionis, nisi illud cui primo et per se convenit esse in loco. Hoc autem est quod natum est replere locum. Formae autem non competit esse in loco, nisi per accidens: quoniam aliqua formae sint principium quo corpus inclinatur ad hunc vel illum locum: similiter nec materia per se considerata, quia sic intelligitur praeter

etiam haec ratio non est prima quae convenit rei quantae, prout talis est, sed supponit aliam antecedentem. Vel enim spectatur in uno corpore respectu alterius; et haec ratio, utpote respectiva, supponit absolutam, secundum quam unum corpus intelligitur ut quantitate affectum, etsi unicum existeret vel posset existere. Vel spectatur in partibus unius eiusdemque corporis ad invicem comparate; et etiam haec ratio est posterior. Prius quippe secundum naturam est partes situatiter extra se poni, quam eas non posse in eundem situm confluere; cum affirmatio sit causa negationis, non vicissim.

IV. Accedit quarto ipsa *extensio* substantiae in *ordine ad locum* cui commensuratur. Ceterum neque hoc adstrui potest tamquam prima ratio rei quantae. Est enim ratio quaedam absoluta ab huiusmodi commensuratione, ut patet in corpore, si unum tantum extaret. Quod si dicatur haec ratio consistere in fundamento, ratione cuius corpora nata sunt replere locum eique commensurari, id verum est; sed, ut ante dicebamus agentes de divisibilitate, merito posset quaeri ulterius, quid rei tandem sit istiusmodi fundamentum.

omnia illa genera, ut dicitur 7. Metaph. Unde oportet quod materia, secundum quod subest ei, per quod habet primam comparisonem ad locum, hoc prohibeat. Comparatur autem ad locum, prout subest dimensionibus; et ideo ex natura materiae subiectae dimensionibus prohibetur plura corpora esse in eodem loco. Oportet enim plura esse corpora, in quibus forma corporeitatis invenitur divisa: quae quidem non dividitur, nisi per divisionem materiae: cuius divisio, cum sit solum per dimensiones, de ratione quarum est situs, impossibile est hanc materiam esse distinctam ab illa, nisi quando est distincta secundum situm, quod non est quando duo corpora ponuntur esse in eodem loco. (Super Boeth. *De Trinitate*, q. 4, a. 3.) Eandem doctrinam tradit (4. *Dist.* 44, q. 2, a. 2. solut. 2.) Ex quo patet, impenetrabilitatem secundum locum quae quantitatem consequitur, non esse explicandam, prout recentiores passim efficere consueverunt, per vires quas appellant repulsivas, quarum effectus ad genus causalitatis mere efficientis revocantur, sed potius ad genus causae et oppositionis *formalis*.

V. Relinquitur igitur, ut effectus formalis quem inquirimus, reponatur in illa naturali extensione seu extrapositione partium in toto quam descripsimus. Praeter enim enumerata attributa, quae rei quantae, ut quanta est, adscribuntur, nihil aliud superest, nisi vel praedicta extensio, vel ipsa substantialis entitas partium quae sic extenduntur. Cum itaque non possit haec substantialis entitas haberi, ut formalis effectus quantitatis, quod in praecedenti conclusione demonstravimus, reliquum est, ut in praedicta extensione reponatur. Hac praeterea intellecta, tamquam in radice intelliguntur cetera attributa quae, ratione quantitatis, substantiae corporeae conveniunt, nec assignari potest ratio aliqua hanc praevertens. Ergo ipsa est prima et essentialis ratio corporeae quantitatis. Atque haec videtur expressa mens Aquinatis sic aientis: "Necessitas distinctionis duorum corporum in situ causatur a natura quantitatis dimensionis, cui per se convenit situs: *cadit enim in definitione eius, quia quantitas dimensionis est quantitas habens situm*. Et inde est quod remotis omnibus aliis quae sunt in re, talis distinctionis necessitas invenitur in sola quantitate dimensionis." (4. *Dist.* 44, q. 2, a. 2. solut. 2.) Et alibi: "Necesse est quod id quod est per se, sit in unoquoque genere. *Distinctio autem secundum situm primo et per se convenit quantitatis dimensionis, quae definitur esse quantitas positionem habens*. Unde partes in subiecto ex hoc ipso distinctionem habent secundum situm quod sunt subiectae dimensionis; et sicut est distinctio diversarum partium unius corporis secundum diversas partes unius loci per dimensiones, ita propter dimensiones diversa corpora distinguuntur secundum diversa loca. Duo enim corpora facit actualis divisio materiae corporalis, duas autem partes unius corporis divisibilitas potentialis." (*Quolib.* 1, a. 21.)

Consulto autem diximus in conclusione, *naturalis extensio seu extrapositio partium in toto*. Quae enim diximus intelligenda sunt eo modo quo intelligitur ipsa *inhæc* quae dicitur esse de ratione accidentis [102, II], videlicet *secundum proprium et connaturalem modum essendi quan-*

titatis dimensionis. Quare conclusioni positae non officit neque illud quod catholica fides docet de modo essendi sacramentali quantitatis corporis Domini, neque illud quod paulo inferius docebimus de possibili corporum mutua compenetratione secundum locum. Lege S. Thomam (*Qualib. cit. a. 21.*; item *Summa th. 3. p. q. 76. a. 4.*)

110. *Coroll. I.* — **Essentialis definitio quantitatis.**

— Ex dictis patet, recte et essentialiter definiri quantitatem corpoream seu molis sic: *Accidens extensivum substantiae; extensionem quippe omnes vocamus extrapositionem situalem partium in toto*. Haec definitio primo et principaliter convenit quantitati continuae; dein vero et secundario quantitati etiam discretae, prout ante declaravimus [98].

111. *Coroll. II.* — **Substantia, remota quantitate, est indivisibilis.**

— Ita passim Angelicus, praesertim (*Summa th. 1. p. q. 50. a. 2.*; 3. p. q. 77. a. 2.; 2. *Dist. 3. q. 1. a. 4.*; *Dist. 30. q. 2. a. 1.*; 4. *Cont. Gent. c. 65.*) Patet autem, hoc minime intelligi posse de indivisibilitate in partes essentielles: hae quippe sunt materia et forma, quarum compositio est in signo priori ad quantitatem. Debet itaque intelligi de indivisibilitate quae opponitur divisioni secundum situm; hanc quippe divisibilitatem substantiae corporeae confert quantitas, ut cum eodem Angelico ante declaravimus. Quod si curiose quaeratur ulterius, quem modum essendi talis substantia habitura foret, quae scilicet naturali sua quantitate spoliaretur, num exempligratia in animali, in quo tale miraculum accideret, posset eo non obstante distingui caput a corde vel pedibus, aliisque membris, si hoc, inquam, quaeratur, duplex esse potest responsio. Alii cum Suarez (*Metaph. D. 40. sect. 4. n. 25, 26.*), censent in eo casu conservari posse substantiam illam praesentem secundum se totam toti spatio in quo antea erat, et secundum partes suas partibus eius; non fore tamen *extensam quantitative*, quia non amplius haberet, unde obisteret aliis corporibus, quominus illud spatium replere posset, nec foret amplius naturaliter repugnans, eius partes esse in eodem loco, vel in unum punctum confluere. Hic tamen respondendi modus

magnam difficultatem apud me facessit. Nam substantiam corpoream sic in spatio praesentem nemo non appellaret reipsa corporaliter quantam et extensam, prout nempe quantitas et extensio communi naturae sensu apprehendi solent. Si praeterea ita res explicetur, impenetrabilitas quae per se provenit a quantitate, videtur tota revocari ad genus causae efficientis, cuius efficacia a divina virtute praepediatur, ne suum exeret effectum: id vero non placet propter ea quae paulo ante ex doctrina Aquinatis notavimus [109, nota]. Malo igitur cum aliis respondere, in eo casu totam substantialem entitatem, quae inveniebatur in partibus animalis sic conservati, remansuram fore, sublata quantitate, per modum unius indivisibilis extra genus quantitatis. Quare minime est imaginandum, partes confluere ad punctum: hoc enim est de genere quantitatis, per modum termini. Nec etiam tunc possent in tali substantia distingui caput, pes, aliaque membra organismi, nisi secundum potentiam et exigentiam: talis quippe distinctio partium organicarum consequitur quantitatem, ut expresse docet Angelicus (*Summa th. 1. p. q. 76. a. 6. ad 2.*) Nec inde licet inferre, eiusmodi partes inter se, vel cum toto identificari; quod procul dubio foret plane absurdum. Cessat solum in tali substantia omnis formalis ratio partium sive actuum sive actu designabilium, ac propterea ea remanet indivisibilis sine ulla vel distinctione vel identificatione partium huiusmodi, quippe nullae in ea hypothesi forent, nisi secundum potentiam vel exigentiam, ut diximus. Nec refert, quod talis existendi modus imaginatione capi minime possit. Siquidem, eo ipso quod in tali hypothesi conservaretur substantia sine quantitate, ea nec per se nec per accidens esset sensibilis, ac propterea nec imaginabilis, sed solo intellectu attingibilis.

112. *Coroll. III.* — **Terminatio quantitatis, seu figura.** — Consequitur denique aliud valde notandum, quantitatem scilicet duplici modo comparari posse ad substantiam corpoream. Primo modo, quatenus materia concipitur ut actinata per formam eaque constituitur praecise in genere corporis. Secundo, prout ab ea actuatur

et constituitur in tali determinata specie corporis, puta humani. Si primo modo spectetur quantitas, concipiuntur quidem in substantia quae ea afficitur, quantitativae dimensiones sed *interminatae*, cum praecisione scilicet a qualibet determinata figura. Contra vero, si alio modo spectetur: pro diversitate quippe specifica corporum variatur figura unicuique propria et connaturalis, ut maxime patet in natura organica (1). Quare optimo iure figura non ad quantitatis, sed ad qualitatis genus revocatur [*Pr. Ph.* 548]; qualitas quippe consequitur formam specificam.

SECTIO IV.

Utrum quantitas molis sit nec ne individuationis principium.

113. **Status quaestionis.** — Natura quantitatis explicata, ordo doctrinae postulat, ut quae dictu potiora sunt quoad eius proprietates attingamus. Imprimis igitur hic tractandam assumimus famosam quaestionem in Logica intermissam [361] *de principio individuationis*: proxime enim nexa est cum iis quae de natura materiae et quantitatis huc usque disputavimus. Ut vero id de quo modo agendum, probe intelligatur, notandum est, nullum esse dubium, quin in substantiis materialibus unitas ac distinctio existat pure numerica, i. e. sine specifica diversitate. Multiplicantur enim huiusmodi substantiae, non solum

(1) Consulto dixi, *maxime* id habere locum in natura organica. In ea quippe id est, undequaque manifestum. Ceterum, etiam in natura anorganica, diversa licet ratione, id verum esse, optime probari potest ex genesi cristallorum, ut egregie demonstravit cl. L. De San (*Cosmologia*, 1. p. c. 4.)

sub eodem genere, verum etiam sub una eademque specie, puta humanitatis. Quaeritur itaque, quo titulo, seu quid rei sit ratione cuius talis multiplicatio contingat vel contingere queat, videlicet an ob speciale rationem *substantiae corporeae* seu materialis, vel ob generalem rationem *substantiae contingentis*, vel denique ob utranque rationem simul. Quod si ipsa materialitas harum substantiarum asseratur esse in causa, cur praedicta multiplicatio dari queat, quaeritur ulterius, quodnam praedictum sit in substantia materiali, prout huiusmodi, unde haec multiplicabilitas exoriatur. Ex quo patet, minime in controversiam adduci quaestionem in Logica loc. cit. abunde pertractatam, de eo in quo scilicet reposita sit ipsa *formalis* ratio individuationis seu singularitatis. Nimirum id solum agimus in praesenti, ut de ipso *fundamento* seu *radice*, unde haec progignitur in materialibus substantiis, quae non solum specificae sed numericae etiam tantum invicem distinguere possunt, quo tandem sciatur, utrum similis distinctio et multiplicatio etiam in alio genere substantiarum, puta immaterialium, dari queat. De hac porro quaestione sic proposita, maiori qua potero perspicuitate doctrinam B. Thomae sincere referam, ut ita nec ne res sit benevolus lector per se ipse iudicet. Eam porro expositam praecipue habes a S. Doctore (*Summa th.* 1. p. q. 50. a. 4.; 3. p. q. 77. a. 2.; 4. *Cont. Gent.* c. 65.; Opusc. super Boëth. *De Trinitate*, q. 4. a. 1. 2.) Inde haec quae sequuntur in rem nostram derivamus.

114. **Prima causa seu ratio pluralitatis univeerse ac generatim.** — iam age, ante omnia S. Thomas generale principium adstruit, unde primo repetenda est quaecumque pluralitas quae habetur aut haberi potest in quibuscumque quae secundum esse differant. * Dicendum, ait, quod sicut dicit Philosophus 10. *Metaph.*, plura dicitur aliquid ex hoc quod est divisibile vel divisum. Unde omne illud quod est causa divisionis, oportet ponere causam pluralitatis. * (*Opusc. cit.*) Haec porro causa aliter assignanda est in compositis et posterioribus, quam in simplicibus et primis. Nam * diversitas quae dividuntur posteriora composita secundum